



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

Parisiis, 1644

X. De ornamentis ecclesiae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15974

ANNO
 CHRISTI
 1222.

feria quarta, & sexta, & sabbato. In Iunio in se-
 cunda, quod dupliciter obseruatur a pluribus; in
 prima hebdomada post litanias, aut in hebdomada
 pentecostes. In Septembri per tres dies. In proxi-
 ma septimana integra ante natalem Domini.

I X.

Presbyterorum parochialium ecclesiarum ani-
 mos ad ea quæ magis nostris temporibus expe-
 diunt exercenda studiose excitare volentes, eis præ-
 sentis Concilii diffinitione districte duximus in-
 iungendum, vt plebes sibi commissas pabulo verbi
 Dei, secundum quod eis fuerit inspiratum, infor-
 mare procurent, ne canes muti merito iudicentur,
 cum salubri latratu a caulis dominicis luporum spi-
 ritualium morsus non repellunt. Illud euangelicum *Matth. 25.*
 memorialiter recolentes, quod in nouissimo exa-
 mine visitatores infirmorum regno remunerabun-
 tur æterno, quoties fuerint accersiti, celeriter acce-
 dant & hilariter ad ægrotos.

X.

Ad exemplum Salomonis, qui omnia vasa do-
 mus Domini ex auro purissimo fabricata diuino
 cultui mancipauit, statuimus vt quælibet ecclesia
 calicem habeat argenteum cum aliis vasis decenti-
 bus, & sindonem mundam, & candidam, & am-
 plitudinis congruentis: vetera vero corporalia,
 quæ non fuerint idonea, loco reliquiarum repo-
 nantur, vel in præsentia archidiaconi comburan-
 tur. Prouideant etiam archidiaconi vt linteamina
 & alia ornamenta altaris sint (sicut decet) honesta.
 Libros habeat etiam ecclesia idoneos ad legendum

& psallendum: ad minus duplicia ornamenta sacerdotalia: & vt honor debitus diuinis officiis impendatur, * præcipimus vt qui altari ministrant superpelliciis induantur.

XI.

Ne lepra Giezitica (quod absit) per auaritiæ cultum latenter irrumpens, ministros ecclesiæ collocet extra castra regni æterni, districtius inhibemus ne quis ecclesiæ suæ renuntians recipiat ab eo qui sibi substituitur vicariam, cum vehementer possit præsumi quod talia fiant per pactiõnem etiam turpem. Quod si ab aliquo fuerit acceptatum, & ille vicaria & alius personatu priuentur. Illud autem absurdum reputamus omnino, vt aliqua existente persona vnius ecclesiæ, alius de consensu ipsius personæ aliquid conferat in eadem ecclesia nomine personatus, nisi persona prior ecclesiam totam prius duxerit resignandam.

XII.

Quia iuxta canonicas sanctiones inter carnale & spirituale matrimonium optima est comparatio, & cum inter duos sponfos diuidi naturalis ratio minime patiatur, & inhonestum est plurimum, quod ecclesia Dei, quæ debet esse vna, multorum amplexibus frequenter ancilletur: sacro ergo approbante Concilio, districtius inhibemus ne de nouo aliqua ecclesia pluribus rectoribus, quorum vterque sit persona, committatur agenda. In ecclesiis autem, vbi nunc plures personæ existunt, statuimus vt singulis decedentibus accrescat viuentibus portio decedentium, donec ad vnum solum illius ec-